

Q.K.356.34.

X 1904102

II S
6

JOH. DANIELIS GEIER,
Doctoris, Præsidii Fridericiburgensis ac Man-
heimensis Medici ELECTORALIS PALATINI,
ac Academici Curiosi

SCHEDIASMA,
DE
MONTIBVS
CONCHIFERIS
AC
GLOSSOPETRIS
ALZEIENSIBVS,

AD
VIRVM
AMPLISSIMVM atq; EXCELLEN-
TISSIMVM

D N. D. GEORGIVM FRANCVM
Archiatrum, Professorem atq; Academicum
Curiosum longe Celeberrimum.

FRANCOFVRTI ET LIPSIÆ,
PROSTAT APUD GEORG. HEINR. OEHRLINGIUM,
EXCUDIT JOH. ZACH. NISIUS.
M DC LXXXVII.





AMPLISSIME DOMINE!

Nenerem Anadyomenen omnium de-
 liciarum ac voluptatum Deam illam
 elegantissimam antiquissimi fabula-
 rum conditores non solum è spuma
 maris ortam, sed & conchæ Margar-
 ritiferæ, mirabilissimo pariter ac elegantissimo na-
 turæ operi, invehentem finxere, nihilque omise-
 re, quod illius formositati non majorem afferret
 splendorem, hocque ipso demonstravere, eam tan-
 quam matrem fœcundissimam maris quoque Do-
 minam esse potentissimam; digna Venus tantæ
 æstumationis, digna quæ cœruleis insurgat flucti-
 bus, ast neutiquam

nostra potuit considere concha.

Siquidem non è mari sed è terræ cryptis eruimus,
 non politas neque pictas, non diversi colores ne-
 que Cytheriacas, sed crudas, crassissimæ mate-
 riæ prolem simillimam, adeò ut indignas æstime-


A 2

mus,


imus, quæ offerantur Deæ venustissimæ; permitte, VIR AMPLISSIME, ut tibi dem, siquidem etiam circa minutissima naturam esse solertissimam, ipse met nosti. Neque forte credas, me Imperatoris Caligulæ ad instar cum conchis velle certamen tentare, aut de decori duces me otiosum cum pueris conchylia legere velle, quum potius in confessu sit, Illustres viros, Lœlium & Scipionem, Romanos, idem fecisse, de quibus Crassus orator apud CICER. *de Oratore* 2. l. 4. ita loquitur: Non audeo, inquit, dicere de talibus viris, sed ita solet narrare Scævola, conchas eos & umbelicos ad Cajetam & Lucretium legere consueuisse. Concede igitur, AMPLISSIME DOMINE, ut inexhaustæ eruditio[n]is Tuæ mari profundiſſimo viles addam conchulas, cum ipse Oceanius non semper purpura tinctus nitreat aut coralliis & unionibus superbiat, sed & levioribus conchulis spongiosis fruticibus aliisque cœnosiſ, neque etiam vel Rhenum vel Istrum fluvios fovet ſolum, sed pariter rivulos in ſe recipit, utut nil nisi aquam tribuentes. Ego mihi plane persuadeo magnum hisce conchulis adventurum decus, si hancce descriptionem earum facili vultu aspicias.

TRA-


Genus Conchæ Ostreaceæ partem simā exhibens



Genus Conchæ ostreaceæ. partem gibbam exhibens



Genus Concharum Cretaceum Weinheimense.



Aterum gen. Concharum ostreacearum Alzeyensium
Ad. Tr. 2 tract. 1. S. 2




Glossopetrae Honheimenses et Alzeyenses



Glossopetra monstrosa

• 08/14.1980

Georgius Agricola Minerales Historia



TRACTATIO PRIMA.

De

Montibus Conchiferis.

§. I.



Irabile variarum concharum in mari qui considerat, adeo affabre factum opus, statim summi Numinis agnoscet providentiam, naturamque in fingendis illis solertissimam, ipsumque litus nitore concharum superbiens statim rapiet eum in admirationem. Ortas illas esse à sale, nemo est, qui dubitat, quod opifice animalculo coagulatur, atque ad perfectionem promovetur, ideo de his non instituam sermonem, sed lectorem remitto ad JONSTON. & ALDROVAND. *I. de testac.*

§. 2.

Mirabilius revera opus est, quando observamus etiam Ansa scri-
conchas reperiri longè à mari, immo in montibus ab animal-
cub destitutis. Sic in diœcesi Alzejana, in qua gratia Sere-
nissimi Electoris per aliquot annos Medicus ordinarius fui,
inter alias gemmas inveni montes conchiferos varios, quem-
admodum unum Weinhemii prope Alzei nomine, der Mu-
schel-Berg / alterum qui est ad cœnobium Sion / tertium qui
est in districtu illo, qui vocatur im Thal; quorum viscera,
adeo referta sunt varietate concharum, ut mirari liceat, qui
ad tantam altitudinem montes possint excrescere, horumque
onnitum summitas adeo fertilis est, ut & seratur & metatur.
Toti alios arenosi fere sunt, concharumque in se continent
tantam varietatem, quantam fere describit PLIN. *I. 9. c. 33.* præ-
stantesque icones partim exhibit. Materia vero harum est
duplex, alia terrestris, calci similis, alia ostrearum aut matris
perlarum splendori accedit.

A 2

§. 3. Si-

TRACT. I. DE CONCHIFERIS.

Exempla.

Similia exempla referunt variis authores Curiosissimi; sic in subterraneo domicilio, quod ostenditur juxta Cumas Italiz, vulgusque antrum Sibyllæ fingit fuisse, (quum potius verisimile sit, fuisse speluncam latronum) visuntur parietes vario concharum nitore ac contextu Musaicum opus imitantes, uti videre licet ap. ERASM. adag. Chil. 2. C. 2. c. 22. Similiter legimus ap. PFLAVMER. in Mercur. Ital. p. m. 21. quod procul à mari viderit marmor refertum diversis maritimis conchis, non lapideis sed osseis ac genuinis, quales in Thessaliæ lapidinis & Hæmoniæ reperiri auctores scripserunt. Idem fere testatur CL. SALMASIVS ap. CL. SARAVIUM epist. p. m. 141. ubi mentionem facit ostrearum longè à mari mediterraneo inventarum. Sic OLEARIVS. Pers. Reißbeschr. lib. 6. c. 13. p. 728. scribit: Bev Targu seynd Felsen / welche wie lauter zusammien gesetzte Muscheln anzusehen / so in Form derer seynd / so die See aldar auswirfft / alle einer Wallnuss groß zusammen gebacken / in denen man etliche ganze findet / und zwar nicht einzeln / dann kein Stück als eine Faust groß / in deme nicht fünff oder mehr Schalen können gezehlet werden / und ist der Stein so hart als Kieß / über dem felsichteten ist eben gut Land. Conf. plura ap. CL. MENZEL. d. lap. Bonon. s. 2. c. 3. p. 45. seq.

§. 4.

Missa facio recensita jam exempla, ac solum de nostris Alzejensibus inquiram, unde nimurum orientur? quum de reliquis nil proferre queam, quia tam loci situs quam regio Locus na-mihi plane non innotescunt. Nostri satis alti sunt montes, talis. & circum circa nulla aqua nisi parvus rivulus conspiciendus, alias ex limo arenosi sunt, ac fertiles.

§. 5.

Sunt nonnulli qui arbitrantur, ex vulgo jam olim adfuisse hic lacum, ex cuius residentia seu potius defluxu sunt relictae hæ conchæ, idque deducunt à nomine regionis & urbis,

bis, quæ ab illo lacu dicta fuit Alzey quasi Altsee: Similia enim legimus exempla apud PLIN. ubi flumina exiccata & post ibidem talia inventa fuere; hocque ut magis sit verisimile, argumenti loco assumunt, quod vix ad duorum pedum altitudinem liceat terram fodere, aqua statim apparente.

§. 6.

Alii aliam fovent opinionem atque arbitrantur, esse reliquias diluvii, cum non possint sibi imaginari, eas accidentaliter & solo lusu naturæ provenisse, insuperque in media interioris conchæ parte conspiciatur, non secus ac in ostreis, locus, qui indicat animal ibidem infedisce, quo opifice fuit extorta, uti etiam hodie in omnibus marinis ac fluviatilibus videre licet. Hujus Sententiaz acerrimus defensor est MENZEL. d. lap. Bonon. s. 2. c. 3. qui in agro Bononiensi prope montem Paternum in scopulo castris Sperenbergis juxta Colmariam Alsatiæ, inque silicibus maris Baltici invenit similes conchas.

§. 7.

Neutra harum opinionum placet: & quoad primam, De urbe Alzey respondeo, esse allusionem nominis, quæ nil certi hac in parte affert, præcipue cum hæc urbs Alzeja jam tempore Romanorum fuerit extorta, à Franconibus & Normannis devastantibus Galliam occupata, destruta, postea vero rursum ædificata, nunquam tamen etiam in antiquissimis libris Altsee fuit scripta, sed potius Alzeya, Alcea, das Alzheimer Gœw/Alzheim nuncupata fuit, uti etiam legimus ap. AVENTIN. ac ita hanc opinionem, utpote soli etymologiæ urbis superstructam, non agnoscimus.

§. 8.

Secunda majoris est momenti, duasque rationes infert. Negatur I. Quia non credibile est, à luxuriante natura fuisse confecta hæc concharum simulacra, quæ nunquam sine medio convenienter agit, cuius hic locus, utpote aqua & animalculo destitutus plane expers est, quæ tamen requiruntur ad generationem concharum, ideoque non credibile est, eas de novo hic gene-

generari, sed remansisse à tempore diluvii huc usque. 2. Confirmant hanc sententiam nāvō illo, cui spondylus insidet (*de quo v. Cl. CALCAGNINUS l. V. ep. 10. p. m. 166.*) arbitrantes, esse sat probabile indicium animalis opificis. Verum respondeo, multa dubia infringere hanc sententiam. 1. Quia non potuit fieri, ut tempore diluvii conchæ illæ ita congregarentur catervatim, ac interspersa arena ad tantam montis altitudinem ex crescere. 2. Qui accidit, quod solum hos in montes inter se disfitos collectæ fuerint, & non in agris vicinis reperiantur simul, montibus alijs, viis aliisque locis propinquioribus? 3. Si à diluvio adhuc superessent, non est credibile has conchas, licet figura dissimiles, inter se tamen materia convenientes solas fuisse tunc temporis, uti hodie nūm in mari non uniformes inveniuntur, cum tamen hic nullas alias repériamus, nisi ex materia ostracea terrestri, cretacea.

§. 9.

Mens au- Longe aliam ut foveam sententiam, multæ rationes per-
ctoris. suadent, nimirum, ibidem esse locum concharum natalitium, originemque trahere à sale materiæ crassiori succoque lapi-
descenti intermixto, quod ex sequentibus patebit. Desumo autem argumenta, (1) à loco ad generationem apto, qui arenosus est, talem vero requiri testatur ARIST. l. V. H. A.
c. 15. ideo ut succus lapidescens cum materia terrestri eo me-
lius possit sese conjungere, quam caussam etiam agnoscit CL.
SALMASIVS l. 5. c. (2) A materiæ similitudine, quæ in ro-
tundis, pectinibus, oblongis, turbinatis una eademque est,
cretacea, calcit similis, in reliquis vero majoribus ostreaceis,
matri perlarum accedit. (3) à Varia magnitudine: minutissimæ enim in radice montis inveniuntur, ubi tamen nonnunquam, sed rarissime majores interspersæ sunt, in vertice vero maximæ eruunt aratores, ut ita videatur, quod etiam hic na-
tura observet ordinem, dum à parvis incipit, quæ tractu tem-
poris magis incrementum sumunt, atque ita majores consti-
tuunt, siquidem nunquam in summitate aliae quam maximæ
inveniuntur, cum alias lege naturæ hæ, utpote graviores, infra-
mino-

minores tanquam leviores supra deberent esse. (4) Quia non secus ac medulla saxonum in monte molles sunt, erutæ vero ac in aëre servatæ indurescunt sensim. (5) Videmus in turbinatis matrem cui adhæret succus ille lapidescens, quæ lapidi serpentino & colore & nitore & duritie similis est exterius, interius vero plane arenosa, ubi arenulæ lapidis ad duritatem coi-
vere, quod non esset, si ab animalculo conficerentur, quo sum enim tunc esset mater? Cum non observemus in omnibus conchis marinis ac testaceis terrestribus illam, sed solum quod per singulos annos animal laminam ex superfluo alimento apposuerit. (6) Jam olim non potuit fieri generatio, quia hodienum minima illa crescunt nullius animalculi ope; nisi enim crescerent, deficerent tandem in summitate montis grandi-
ores. (7) Nunquam observatum fuit, ejusmodi spondylum sine ullo humore extra aquam vixisse; unde enim hoc in loco medioque montis sumeret pabulum? (8) Vix reperitur in monte prope Weinheim lapis qui non imitetur figura utut ru-
di conchas, unde hoc? nisi quod lapis participet de illo succo, qui sese insinuans in poros concham efformat, vel potius ejus simulacrum.

§. 10.

Modus autem generationis talis mihi videtur esse, dum Modus ge-
nimirum succus ille lapidescens ex suis latebris pullulat, are-
nationis. nullasque, utpote per se ad naturam lapidis accedentes, sibi conjungit, opeque salis conchas constituit. Consentit SAL-
MASIVS. s. l. c. dum. p. m. 140. scribit: Terra omnium rerum
creatarum seminia & principia continet, tam earum quæ ex ipsa
nascentur proprie, quam illarum quæ in medio mari aut fluminibus
generantur, sive illa fint φυτὰ sive ζωῶ sive ζωόφυτα, & paulo post:
idem de conchis & ostreis quæ in mediterraneo inveniuntur multis lo-
cis: non aliud enim potest dici, quam generandis conchis aptum na-
turam illorum esse locorum, non ubique inveniuntur, certe nec omne
mare ostreosum est & κορχυλῶδες, cuius fundus saxosus est, ibi preci-
pue abundant. Hæc ille.

B

§. II. Re-

Materia ge-
nerationis.

Requiritur in generatione locus arenosus, illum enim aptum dicit ARIST. l. s. H. A. c. 15. aut petrosus etiam, unde SALMASIVS. l. s. c. pergit: *Ista terrene conchae vel simulacra concharum non in omnibus terrarum locis reperiuntur, sed aut in montibus, aut in agris saxosis, ut illa que tradidit patruelis meus in villa ipsius agris lapidosis inter alios lapides passim jacentia invenire est.* Complura siquidem concharum genera saxis affixa vitam traducunt, teste ARIST. l. i. H. A. c. 1. uti ostrea illa de quibus legimus ap. Andersen. l. Buch c. 5. Mercelin. Ost-Indische Reise-Beschr. p. m. 1084. ab Hollandis Klipfunten dictæ, welche sieben Elen im Umkreis halten / und an denen Klippen sich uffhalten. Sic quoque si velimus cotem artificialem efficere, debemus arena uti, ita describente ZEILLER. l. i. ep. 79. p. m. 227. ubi ait: *Man man Bier brauet und Erlin Holz mit dem Hopfen in der Pfanne bis der Hopfen genug hat / wol fieden lässt / darnach in einem frischen Sand oder Kiesel / dasselbe in einem Keller gräbt und drey Jahr darinnen liegen lässt / so giebt es die besten Weiz oder Büchsenstein.* Præterea sive metallicolarum constat, quod ingentia saxa infra horizontem sensim in glaream adeo tenuem abeant, ut pro clepsydris inservire possit, hancque glaream aquis permixtam esse, adeo ut si quis incideret, non secus ac in aquis submergeretur neque fundum attingeret. teste BECCHER. phys. subterr. l. i. s. 2. c. 2. n. 4.

§. 12.

De succo
lapidescen-
te.

Insuper accedit succus lapidescens, qui illam arenam compingat & ita massam constituat: dari dautem ejusmodi succum non difficile est probare. Sic legimus ap. ARIST. in mirabil. quod cum ad Pergamum bello exorto opifices ad Lydiæ metalla confugissent, in illis obstructo ab hostibus officio sunt suffocati, tandemque observatum fuit, ossa eorum lapidefacta, & vasa quæ ad manuarios usus adhibuerant, in quibus humor in lapides conversus fuerat, quod non potuisse fieri, nisi talis humor se se insinuasset in illorum corporum poros. v. GREIDAN. phys. ip. m. 167. similiter in Elbogano tra-

etu

Etu juxta oppidum Falkenau integras abietes in lapides verti
 refert Boëtus de BOOT. hist. gem. c. 30. Conf. KIRCHER. mund.
 subterr. t. 2. l. 8. c. 2. f. 2. CÆSIVS. mineral. l. 4. p. 1. c. 1. sic pro- Exempla.
 pe Alzei in tractu pagi Eppelsheim ipse met inveni in radice
 cuiusdam collisrivulum, in quo muscus ibi nascens indurescit
 & egregie corallia imitatur. In Palatio Ludovisiorum Romæ
 monstrum hominis petrefacti vidit BARTHOL. C. 2. H. A.
 p. 354. De lithopædio sive infante saxefacto Agendici senonum
 1582. post 28. annos ex utero Columbae Chatry prodeunte,
 ope sectionis. v. THVAN. l. 76. PARÆVS. l. 24. de monstr. c.
 II. LICETVS. l. 2. de monstr. c. 45. Loys BOVRGOISE. de offic.
 obstetr. p. m. 102. SCHENK. lithogenes. p. 82. SCHOTT. phys.
 curios. l. V. c. 17. de cerebro bovis lapideo. BARTHOL. C. VI.
 H. 91. WILLIS. de mot. musc. p. m. 7. De serpente lapideo in
 cervi viventis ventriculo v. SACHS. & MAJOR. epist. pecul.
 Cancros lapideos inventos fuisse testatur PFLAVMER. Mer-
 cur. Ital. p. 2. p. 65. CALCEOLARIVS. f. 3. Musæi. p. 429. Torell.
 SARAYNA. hist. Veronens. ALDROVAND. de testac. f. 81.
 GESNER. de juatil. f. 14. f. 18a. Laur. SCHROEDER. monum.
 Ital. l. 1. f. 34. de gallina ovis incubante lapide obducta v.
 Andr. BACCIUS de therm. l. 5. c. 4. f. 282. Totam urbem cum
 lapidefactis hominibus v. ap. BARTHOL. H. A. C. 2. hist. 100.
 ORTEL. descript. Russ. A. 1320. Hic humor etiam sapissime
 instar rivuli fluit ac in guttas abit, uti legimus ap. ZEILLER.
 ep. 551. p. m. 873. Dass in der Baumans-Hole nahe an dem
 Flecken Elbingenrode Steine gefunden werden, nahmens
 Tropfsteine weil die Tropfen von dem Wasser aus dem Fel-
 sen in einen hartlichen Stein zusammen wachsen, qui p. 552. ibi
 dem pergit: Im Teich Augustsburg wird alles auch Leder und
 Leinwand zu Stein, ubi plura egregia habet. Immo totos fluvios De aquis
 petrificantes dari, probari potest, quemadmodum legimus de petrifican-
 talibus in pago Hiuret non procul Viennâ Allobrogum & ur- tibus.
 be Clairmont: ap. STROBELBERG. descript. Gallie polit. med.
 f. 3. p. 147. & prope Florentiam de Arno fluvio, ubi fagi trun-
 cus lapideus factus inventus est: teste ROLFINC. l. 2. f. IV. ve-
 getabil.

Exempla.

getabil. c. 2. p. 147. In Hungaria ap. WERNHER. de admir. Hung. aq. In Comitatu Zips. BECHER. phys. subterr. c. 1. s. VI. c. VI. n. 7. p. 592. In Gothia Fridericus I. Imperator expertus est, teste MIZALD. C. 3. §. 36. In Danico mari juxta Lubecensem urbem v. CARDAN. subtil. l. 2. p. 84. ubi plura de arboribus & foliis cum nido & pullis lapidefactis. Conf. PLIN. l. 2. c. 103. BARTHOL. l. 4. s. 8. similiter OVID. metam. xv.

Flumen habent Cicones quod potum saxeа reddit

Corpora, quod tacitis inducit marmora rebus.

Uti etiam meminit Silari SILIVS ITALIC. l. 8.

Nunc silarus quos nutrit aquis, quos gurgite tradunt

Duritiem lapidum mersis inolescere ramis.

Conf. ad h. l. DAVSQVEIVS. p. m. 375. & Balth. BONIFAC. l. 3. Musar.

Frigidus ut silarus saxeа ligna facit.

v. plurima ap. PLIN. l. 31. c. 2. sic quoque OLEAR. Persische Reise-Beschreibung l. 2. p. 116. scribit: Daß in dem Wall zu Marva ein Wasser sey/ welches erstlich zu einem Teig/ darnach zu einem Stein wird. Id quod etiam referunt de urina Lyncis cum OVIDIO xv. metam. ubi canit.

Victa racemifero Lyncas dedit India Baccho

E quibus, ut referunt, quid quid vesica remisit,

Vertitur in lapides & congelat aëre facto.

Corallii lac Sed hoc recte negat BRODÆVS. l. 3. miscell. c. 10. Conf. tamen affirmantem ENZEL. de re metall. l. 3. c. 27. ap. HOFMAN. clav. Schröd. p. m. 182. Idem affirmant de lacte curallii, sed etiam negatur à GASSEND. in vita Paireskii. p. m. 292. HOFMAN. ex relatione D. Nicolai. clav. Schröd. p. m. 159. BOHN. de De flatu pe. aér. in subl. c. 1. p. 25. Neque tamen semper requiritur triscante. ut ad oculum pateat humor, cum etiam solus fatus aut exhalatio sufficiat, uti ex Corn. Witfletio refert CAMERAR. in describit. Ptolm. C. 2. c. 70. De meridionali quadam plaga in eaque aura

Vrina
Lyncis.

aura certis anni temporibus in montanis provinciæ Chilensis in Armenia locis spirante, narrat, integras equitum turmas in saxeum exercitum ejus afflatu repente abiisse; pristinumque aciei statum servasse. ap. KIRCHMAIER. disp. de corp. petref. Wittenb. 1664. §. 2. His exemplis adductis satis superque probari potest dari talem succum, quod autem etiam in his nostris conchis earumque generatione adsit, inde probabile est, quod rotundæ illæ quamdiu in monte sunt, adeo molles sunt, ut vix possint sine laſione erui, extractæ vero ac in aëre servatæ magis magisque indurescunt, non secus ac Corallia ac medulla saxonum, das Steinmarcht teste OVID. 4. metam. fab. 3. de Nymphis caput Medusæ aquis superspargentibus. Corallium.

*Nunc quoque curaliis eadem natura remansit
Duritiem tacto capiant ut ab aëre quodque
Vimen in equore erat, fiat sub equore saxum.
Eg. l. 15. fab. 41.*

*Sic & curalium quo primum contigit auras
Tempore durescit, mollis fuit herba sub undis.*

Utut hoc etiam alii negant, uti BEGVIN. tyroc. chymic. l. 2. p. m. 253. BOHN. de aer. influx. c. 1. p. 24. FRANC. disp. de cural. Jen. 1665. Probat ulterius communis generatio lapidum aliorum, de qua curiosissimi metallicolæ teſtantur, quod invenerint in quodam vastissimo monte infra horizontem laborantes ſenſim ſaxa tractabiliora, teste BECHER. l. f. c. Accidit autem hoc, dum particulæ ſalinæ quamdiu huic liquori ſunt commixtæ, ſimul resolutioni ſunt obnoxiae. v. FABER. pallad. Spagy. c. 17. p. m. 185. PELSHOVER. tyrocin. chim. l. 2. c. 10. p. 153. GASSEND. l. 4. de vit. Peiresk. p. m. 292. BOYLE. de fluid. & firm. & l. de relat. fund. mar. f. 3. PINCIER. enigm. 1. l. 2. p. 99. dein in altero nostro genere oſtreaceo probat egregie laminarum accretio, quæ ſimilis aliorum lapidum, in ſpecie derer Schifferſteineſt, ſimulque indicat in quantum ſingulis annis crescant lapides, quod etiam probant cochlear terrestres,

unde rationi conveniens est, eas laminas crescere pro ratione affluxus hujus humoris. Conf. s. §. 8.

§. 13.

de sale.

Tertio requiritur sal tanquam causa efficiens harum concharum, quia citra illud vix potest fieri petrificatio, teste KIRCHMAI. l. s. c. Videmus enim corpora sale destituta non lapidescere, uti cineres in quibus sal separatum est, (secus corallia, ovorum testa) neque etiam materia terrestris concrescit, nisi ope salis, uti probant parietes calce & lapidibus exstructi, qui ob id duriores quam qui ex limo & lapidibus. Præterea experimentum Boëti de BOOT. l. 2. gemm. c. 301. satis stabilit, quo vidit corallia, lapides cancrorum, margaritas etiamsi vini essentia fuerint solutæ in spiritum, salis spiritu rursus coagulatas, & in corpus redactas. ap. GRAM. disp. de uxor. Loth. quæst. V. Hæcque generatio est ad mentem Chymicorum, uti etiam in nostris conchis deprehendi, ubi sal acutissimum vitriolicum aliquomodo per filtrationem & evaporationem proli-

Modus ge. cui. Juxta ARIST. meteorol. l. 4. c. 8. vero procedit hæc generationis. neratio vel à calore indurecente, vel à frigore humidum excante. de quibus. SENNERT. de consens. c. II. CHARLETON. de li:hiasi. Non agnosco illum modum ac fabulosum arbitror, quem recenset ZEILLER. ep. 554. ubi ait: Dass der gleichen werden den erdichteten elementarischen Geistern/ Bergmännlein und Sylphen zugeschrieben/ welche solche künstliche Arbeit machen/ und dan auch der verborgenen Influenz des Mercurii/ auch denen höllischen Geistern; sed potius ei adstipulor quando addit, auch der Natur. Manet igitur harum concharum materia terrestris humor petrificans cum sale. Conf. Excell. D. MAJOR. de cancer. serpent. petrif.

§. 14.

de figura.

Habemus itaque materiam concharum, jam videbimus pauca de figura illarum, undenam illa dependeat? Difficile est hac in parte quid statuere, scimus equidem naturæ lusum, quomodo vero agat & cur conchas solum efficiat, nec Oedi-

pus

pus poterit divinari, merito potius cum SALMASIO l.s.c. dicimus, esse hujus loci aptam ac peculiarem naturam, utpote qui ejusmodi succum conchiferum in se continet, non secus ac alio in loco inveniamus glossopetas, fungiten, syringiten, Cenchriten, hieraciten, geraniten, ætiten, peristeriten, lepidoten, Rhombiten, ammoniten aliasque, *de quibus JONSTON.*
in thaumatogr. cl. 4. c. 17. Et ut alia addam exempla ubi non solum accidentaliter natura similiter lusit, sed & quod adhuc magis est, varias imagines certarum plantarum, hominum, animalium impressit. Sic refert ex LEANDRO *descript. Latii ZEILLER. l. 1. ep. 74.* Das bey Tivoli in Italia Steine gefunden werden/ schön weis/ so wie Zucker- Confect von allerhand Sorten/ als Mandeln/ Coriander &c. aussehen. Similiter scribit Führer in seiner Reise-Beschr. p. m. 125. daß man an dem Berg Sinai mancherley Steine findet/ wie Mandeln/ Dattlens/ und andre Früchte/ sehr selßam/ quemadmodum daëtylus Idæus, *de quo HOFMAN. clav. Schröd. p. m. 182.* Ita quoque in ditione Iestemeniana, non longe à Schaphusiana agros leguminosos fabisque quasi, orobis & pisis lapidosis instratos & confitos reperiri refert GRAMMIVS *disp. de ux. Loth. quæst. 10.* & prope Bethlehem invenit BELLON. l. 2. obs. 87. ubi tamen fabulam quam de rustico & Maria virgine hac de re narrant, merito ridemus. Tradit itidem GASSEND. *in vit. Peiresk. p. 148.* eum ossa hominum natura lapidea & varia animalia vidisse. TORELL. SARAYNA. *hist. Veron. 2.* scribit, repertos intra montis viscera echinos lapideos, materiæque ejusdem paguros, stellas, pisces, cochleas, ostreas & avium rostra, sive ea Noachi tempore per terras omnes effusum mare in mediterraneo vixerit, tum superaggesta humus obtexerit ac denique in lapides verterit, sive ipsis in montibus fluitans salsus humor quidam ac vitalis genuerit. De variis imaginibus lapidum v. PFLAVMER. *Mercur. Ital. p. m. 19.* Führer. l.c. p. 211. BONIFAC. *hist. Iudicr. l. 3. c. 11.* CARDAN. l. 7. *subtil. p. 184.* PANCIROL. *rer. perdit. tit. 16.* In marmore Ravennæ conspicitur sacerdos hostiam elevans adeo accurate, ut Paulus III. Pontifex M. pictoris manu factam crederit imaginem. *testē PANCIROL.*

ROL. l. s. c. de viri vestigiis in marmore & regio capite in
achate, v. Steph. PIGHIVS. in prodic. Hercul. ALBERT. M. me-
teorol. MAJOLVS. dier. canic. col. 18. Sic Michael GEHLER.
epist. philol. deformic. Et gemm. formic. schreibt/ daß Rudolpho II.
von der Persischen Gesandtschaffe ein Edelstein 1610. vereh-
ret worden/ in welcher von Natur die Jungfr. Maria mit dem
Kindlein also zusehen gewesen. ap. ZELLER. C. 4. ep. 57. qui
ibidem p. 55. vergleichen von D. Luthers Seel. Bildniß schrei-
bet. Varias herbas repräsentantes lapides v. ap. JONSTON.
thaumatogr. cl. 4. c. 17. p. 158. varias partes humani corporis
exhibentes lapides, uti Maen humano femori conformis. de
quo GIRALDVS. l. 2. Itiner. Cambric. c. vii. Ostiocolla, de quo v.
HOFMAN. clav. Schroed. p. m. 185. aliique.

§. 15

In quo con-
sistat origo.

Arbitror itaque probatam fuisse hanc sententiam, quæ
vult humorem lapidescentem cum sale & materia terrestri,
arenosa, has conchas constituere, natura ita opus dirigente.
Impossible enim est, ut aliam rationem addamus, quia non
possimus assequi, cur solum hoc in loco & non alio gene-
rentur, ut & cur in homine in vesicula feilis & non in ca-
pite aut alia parte, nisi à convenientia partis lapidescentis
cum illa parte in qua est. v. Excell. D. D. FRANCI. lapidi-
cin. microc. Quod vero hanc figuram habeant & non aliam
similiter dependet à natura, ejusque lusus est, ex aptitudine
& convenientia particularum ac loci fortuito ita factus, uti
etiam testatur SALMASIVS l. s. c. Hanc autem adesse in
montibus nostris conchiferis probatur, quod non procul hinc
alia detur fovea in qua mirabilissimi inveniuntur lapides mul-
tiformes, & in alio vicino monte, nomine der Grind / glos-
sopetræ, in alio der rothe Thal / achates, crystalli, amethy-
sti, in alio prope der Ziegelscheuer / minera ferri, in alio no-
mine die Sand-Grube / unicorum fossile, &c. quæ omnia
denotant peculiarem loci aptitudinem. Præterea hoc in mon-
te, ut supra dixi, vix lapidem invenies, qui non concham.
imita-

imitetur. Posset aliquis suspicari, etiam poros terræ aliquid conferre, quod tamen suo loco relinquo, & potius credo succum lapidescentem & Sal illum modificans causam esse primariam, quia & lapides in monte conchæ figuram assumunt.

§. 16.

Qui autem fiat quod crassiores conchæ illæ rotundæ & multiformes inferius, ostreis vero similes superius in monte inveniuntur, arbitror inde dependere, quod hæ ex subtilissima parte salis & succi lapidescentis dependent, unde vi legis immutabilitatis naturæ sursum tendunt, illæ vero, utpote terrestriores, inferius generantur. Quod vero illarum materia sit subtilior, probatur ex splendore egregio, dein etiam ex copia salis, quæ in calcinatione ob insignem volatilitatem avolat, unde etiam matris perlarum splendorem æquant, Reliquæ autem lapidis vulgaris colorem imitantur, wie Ralchstein / ob materiæ terrestrioris copiam salisque defectum, utpote quod in paucō fixo constat.

§. 17.

De usu Medico quem habent, credo posse adhiberi com- Usus inter-
mode in febribus, atque exinde posse fieri illud Specificum nus.
Crollianum, tam ratione salis, qui fundit humores, quam-
ratione capitis mortui, quod præcipitat; Sal vero illud vo-
latile concharum ostreis simillimarum potest applicari in mor-
bis à serosa colluvie, obstructionibus mesaraicis, lienis, pan-
creatis, hypochondriorum &c. hydrope, quia recludit poros.
Illud autem fixum concharum terrestrium autumo non inu-
tile fore, ubi diuresi opus est, ex quo generali usu quilibet
poterit specialem elicere.

§. 18.

Externe vero ostreacearum genus egregie valet ad inau- Usus exter-
res componendas, uti modum tradit Alex. PEDEMONT. nus.
Secret. PRVIDENT. in homartins.

Nectitur & nitidus concharum calculus albens
Crinibus, aureolisque riget coma texta catenis.
Præterea potest etiam applicari ad opus illud quod vocatur
die Muschel-Arbeit.

C

TRACTA-

TRACTATIO SECUNDA.

De

Glossopetris.

§. I.

De glosso-
petris.

COnchis itaque nostris explicatis offerunt sese glossopetrae, quas invenimus usf dem Grund; Harum figura est non admodum magna, unde etiam nostrates non Mater, sed Evangelii-Bungen vocant, exterius partim egregie polita, partim tamen cortice calcario obducta est, exactæ duritiei, planeq; acuminata in priori parte, in posteriori lata vero partim triangularis, partim instar ossis ypsiloidis in cornua abit, ita tamen ut cortex cum acuminata parte sit cinerei coloris, & durus, linguæque admotus hæreat, illa vero extremitas instar ossis hyoidis velut ochra flaveat. Cortice remoto apparet materia quædam terrestris instar ossis medullosi exiccati. Vinea præterea ex limo arenosa est, in qua diversæ magnitudinis inveniuntur, eaque unica saltim. Similiter nobis quoque offerunt lapicidinæ Flonheimenses, sed paulo maiores, in quibus dum maximos molares lapides eruunt, deprendunt quasdam cavitates ejusmodi glossopetas continentis nostris similes colore, figura, duritie &c. de his quærimus primo an differant à Melitensibus, secundo quem usum habeant? præcipue cum Jesuitæ magno vendant Melitenses, juxta effatum D. MICHAEL. in Colleg. MS. ad JONSTON.

§. 2.

Melitensi
descriptio.

De Melitensibus talis exhibetur nobis historia apud Herer l. 3. Egypt. Dienstbark. c. 16. p. m. 436. Nechst der alten Stadt Malta ist ein Höle, so die Inwohner Grotta S. Pauli nennen / darinnen der Apostel Paulus soll geprediget haben / in dieser Höle seynd Steine, welche viel vor giftige Krankheiten und hitzige Fieber brauchen. In gemeldten Felsen wachsen

wachsen auch hübsche glatte Otter-Zungen / so von der Gestalt den Nahmen haben / welche die Arbeiter / indem sie die Felsen graben und verschlagen / finden / und andern verkauffen / allerdank Gattung groß und klein / aber sie seynd so schön poliret / als wann sie gegossen wären. In obgedachten Felsen findet man auch die l' ochi di serpe oder Schlangen-Augen / nostratibus Schwabenstein. &c. Sunt nonnulli, qui hæc vestigia. S. Pauli volunt, dum tribus integris mensibus naufragus in hac insula Evangelium annunciat incolis, eosque ad fidem Christianam perduxit. ACTOR. 28. omnes ejus insulæ serpentes veneno spolians cicuresque & inhabiles ad lædendum faciens, acsi in petras essent conversi, unde & singulare venenorum esse alexipharmacum tam terram quam linguas & oculos communi fama Melietæ est peryulgatum ap. C. BARTHOLIN. C. vj. H. i. Sed fabula,

§. 3.

An autem hæc nostræ Alzejenses differant à Melitenis- bus? non immerito queritur; cum haec tenus de his fama longe lateque sese divulgaverit, præcipue apud Magnates. Requisita igitur harum Melitenium sunt juxta BARTHOL. l. f. c. ut non sint serratae instar dentis, neque etiam tornatae in formam triangularem, sed sint teneræ, mediae duritiei & natura calcinatae, quæ una cum cortice facile masticentur instar eboris bene calcinati. Veræ præterea in calcinatione non abeunt in calcem sed quæ ossæ in carbonem. Conf. HOFMAN. clav. Schröd. l. 3. c. 2. §. 14. p. 130. In nostris omnia recensita deprenduntur præter illud quod non ita facile masticentur, & non uti Melitenses & Flonheimenses in lapicidinis sed arenosa limosaque vinea inveniuntur. Attamen credo eam mollitiem non semper deprendi in Melitenibus, nisi statim eas masticemus in ipsa Grotta S. Pauli; diversas enim inspexi æquè duras. Alias colore aliisque omnibus requisitis cum Melitenibus coincidunt, adeo ut vix deprendi queant, egoque ipsem seductus Flonheimenses pro Melitenibus sumfi. In calcinatione nil nisi cortexabit in calcem, alias interne conspicitur materia quædam terrestris coloris

TRACTATIO II.

20

phœnicei, mediæque duritiei ac insipida. *Conf. WORM. Ms
seic. 4. p. 7.* Optumæ ad usum sunt juxta mentem omnium
auctorum cineritæ, quia illæ ex subtilissima materia eaque
purissima oriuntur, quare non credo nostras differre à reli-
quis.

Ufus ex-
ternus.
in veneno.

S. 4. *De generatione aliquid adderem, nisi illud tr. 1. de con-*
chis egissem, cuius applicatio huc quadrat. Jam pauca de-
usu harum adjungam, quia tam externe quam interne apud
multos invaluit: externe collo ac auribus appenduntur teste
BARTHOLINO l. s. c. & Scyphis Magnatum induntur, quia
venenum, dum sudorem ex illis propellunt, non secus ac por-
cellana aut serpentina vasa, quæ dissiliunt, ac ita à potu venena-
to sunt immunes, wie von denen Matter Zungen es gesehen
zu haben schreibt Hebreer l. s. c. qui ibidem addit, daß der
Groß-Meister zu Malta zu seiner Zeit habe die l' ochi di ser-
pe in einem Ring also getragen wider das Grimmere / daß er
die bloße Haut damit angerühret. Internè vero ad gr. tria
propinavit D. Bahr. ap. D. MICHAEL. Colleg. MS. ad Jonst.
Colleg. Pract.

In partu.

In parturientis manu detenta glossopetra donec incale-
 scat partum juvare dicitur *ap. HOFMAN. l. s. c.* quod tamen
 ego non credo, & non secus ac alia amuleta, uti corium hu-
 manum, lapis aquilæ &c. in partu fabulis adjungo: quis
 enim est consensus manus cum utero, aut quæ vis commu-
 nicata expellens? ubi viæ?

In dentitio-
ne.

Ad dentitionem quoque commendantur hæ glossope-
 tra in patria mea, & ob id argento inclusæ infantum collo
 appenduntur. Credo hoc posse fieri ob duritiem, quia dum
 infantes has ori indunt, comprimuntque gingivas, ut eo
 melius ossea dentis substantia *patua* possit perforare, non se-
 cus ac crystallus, achates, mater perlarum, dens Iupinus ap-
 pensus, de quibus tamen vult *SYLVIVS. l. X. prax. tr. 1. c.*
7, §. 17. quod sale volatili hoc perficiant. Ego hoc in dubi-
 um voco, immo non agnosco: qui enim potest mihi ex tam
 duro corpore sola collisione aut compressione illa sal prolici?

Non

Non tamē, cum sint satis accuminatæ, vellem infantulo appendere, quia facile potest infligi vulnus ori tenerimo.

In Epilepsia prosunt similiter, si infligatur vulnusculum. *In epilepsia ap. BARTHOLIN. l. c. s.* Hoc autem fieri arbitror non à specifica virtute neque in omni Epilepsia, sed solum generaliter, ac in ea quæ oritur à sanguine vel potius spiritibus animalibus acidis, qui facto vulnusculo cum sanguine effluunt, unde cessat nervorum contractio. Fiet autem hoc vulnusculum vel circa principium spinalis medullæ vel in nucha, ubi hi Spiritus acidi congregantur & particulis suis acidis & acutis nervos ad suum principium pellunt. Quod autem generali virtute hoc fiat, inde probatur, quia illud pleraque caustica idem præstant, immo etiam si tale ferro vel scalpello fiat urgente necessitate, quemadmodum legimus de puerulo *ap. TVLP. l. obs. 56.* cui podici admota sanguisuga & ulcusculum nuchæ inustum loco medelæ fuit, qui *l. 3. obs. 2.* de curbitula pollici pedis apposita fere idem refert *CELSUS. l. 3. c. 23.* prognosticum fert de tali vulnera, ubi ait: *Ultimum est juxta talum in utroque crure paullum sanguinis mittere, occipitum incidere, & cucurbitulas admoveare ferro candente in occipitio, quibus si finitum malum non fuerit, proponendum est ut perpetuum sit.*

§. 5.

De interno vero usu sunt alii qui exhibent in peste, febris malignis, ardentibus, variolis, morbillis, lumbricis infantum, epilepsia; & non sècùs ac Bezoar commendant; id que ob insignem diaphoresin quam ob sal volatile dicuntur præstare, *v. d. BAR. ap. MICHAEL. Colleg. MSS. ad JONSTON.* ubi ad summum tria grana exhibere jubet. Sed non nulli qui à figura illud deducunt, ac nomine, quia vipera egregie in hoc valet, *de qua MVTSCHLER. bez. anim. ur. von der Pest.* Unde non absconum esse, si hæ lingvæ pulveres ingrediantur cordiales ait RONDELET. *l. 32. c. X. citante HOFMAN. l. s. c.* uti etiam vidit Panormi Joh. Frid. Habla, Ordin. Hierosolym: Vice Cancellarius: id quod etiam te-

statur

C 3

statur *Heb̄ter l. f. c.* quando ait: So hab ich selber der Malteser Steine wie auch gemeldter Otter- oder Mutter-Zungen mit mir heraus gebracht / und solche Eugend an allen / auch bewert bey Menschen gefunden. Similiter etiam, uti mihi narratum est, Medici Moguntinenses in Flonheimensibus glosopetris experti sunt, ac propterea eas etiam emunt, ubi quoque mihi persuadeo, quod nostræ Alzejenses eundem effectum sint præstituræ, cum & forma & substantia conveniant cum illis. De Epilepsia curatione itidem non dubito, præcipue cum forte latex sanguinis sit vitiosus aut acidus, unde vi præcipitante ac imbibente egregie proderunt. Habes ita EXCELLENTISSIME DOMINE. Iævia hæcce de nostris conchis ac glossopetris, quibus otiosas horas inter expatandum perdidisse mihi volupe fuit. Si scivero me in his Tibiplacuisse, non ultimam laudem arbitrabor esse, calcarque erit ut forte brevi alia quæ sub manu sunt edam. Finio & adjicio illud Nasonis:

*Hos habet hæc calamos, hos hæc habet ora libellos
Hæc viget in nostris, Maxime! Musa locis.
Quæ quamvis misisse pudet quia parva videntur,
Tu tamen hæc quæso consule missa boni.*



INDEX

INDEX AVCTORVM.

Albertus M.
Aldrovandus.
Andersen.
Aristoteles.
Aventinus.
Baccius.
Bartholinus.
Becherus.
Beguinus.
Bohn.
Bonifacius.
Boot.
Bourgoise.
Boyle.
Cæsius.
Calcagninus.
Calceolarius.
Camerarius.
Cardanus.
Celsus.
Charleton.
Dausquejüs.
Enzel.

Erasmus.
Faber.
Führer.
Franc.
Frank.
Gassendus.
Grammius.
Greidanus.
Gehlerus.
Gyraldus.
Hebrer.
Hofman.
Kircher.
Kirchmäjer.
Leander.
Licetus.
Major.
Menzelius.
Michaël.
Mizaldus.
Mutschlerus.
Olearius.
Ortelius.

Ovi.

INDEX AVCTORUM.

Ovidius.
Pancirollus.
Parætus.
Pedemontanus.
Pelshover.
Pflaumer.
Pincier.
Plinius.
Prudentius.
Roflincius.
Rondeletius.
Sachsius.
Salmasius.
Sarravius.

Sarayna.
Schenk.
Schottus.
Schrœder.
Sennert.
Strobelbergerus.
Sylvius. de le Boe.
Thuanus.
Tulpius.
Wernherus.
Willis.
Wormius.
Zeillerus.

F I N I S.



Q.K.356.34.


JOH.
Doctoris,
heimensis

MCC
GLO
AL

AMPLI

D. N. D. G.
Archiatrun

PROSTAT



02
II S
EIER
sis ac Man.
LATINI,
A,
VS
RIS
RIS
S,
ELLEN-
ANCVM
ademicum
INGIUM,